

Transcripció

Frater Jacobus de Molayo, Dei gracia pauperis milicie Templi magister humilis, religioso et honesto fratri Raymondo de Bello Loco, preceptori domus Templi de [dot...]¹, salutem in Domino. Debet scire vestra discrecio nos pro comuni christianitatis utilitate et comodo domus nostre de transmarinis partibus pervenisse, et non capientes exemplum predecessorum nostrorum nec illorum qui fuerunt loco sui, nec ballivos nostros et ballivias nostras in aliquibus opprimentes, nec pro adventu nostro de transmarinis partibus nec per transitum quod per diversas² terras evidenter fecerimus neque moram quam in romana curia fecerimus diuturnam, vos inde multum non requisierimus, nec honoraverimus vos in aliquo pro nobis neccesario succurrendo licet fuisset nobis competens et neccese. Nunc autem de voluntate domini pape et nostra progreditur, de quo quam plurimum congaudemus, quod nos debeamus ad instans festum beati Iohannis Bapstiste transfretare. Ea propter vobis rogando mandamus quantum possumus neque scimus quod Deum vos habentes pre oculis in nostro passatgio nos iuветis, ita quod Deus vobis retribuat in eternum et quod mundus de vobis super hoc se teneat pro contempto et nos vobis ad graciaram merita teneamur. Mandantes vobis quod ibi excusatio nulla fiat, nam presens proverbium non mentitur: fidelis amicus in necessitatis articulo comprobatur. Et nos Domino concedente apud Alle³ ante nostrum passatgium quodam faciemus capitulum ubi videbimus qui bene facient cognoscentes unicuique reddentes secundum sue merita probitatis. Valet.

Datum Rome XXI^o mensis ianuarii.

Viro religioso ac honesto fratri Raymondo de Bello Loco, domus milicie Templi de Turribus⁴ in Aragonia preceptori.

ACA, Reial Cancelleria, Processos en foli, lligall 2, num. 4, fol. 221r-v.

¹ Sic.

² divsas, sic por *diversas*.

³ Sic.

⁴ Torres de Segre.